

in Deo, ente perfectissimo, consideranda nobis veniant.

2. Verùm *in aliis rebus* non percipimus attributa tanquam omnia simul juncta, atque ita juncta, ut unum sine altero planè esse non possit, animadvertimus enim in homine v. g. beneficam voluntatem esse posse sine exsequendi facultate, aut hanc sine sapientia actionem dirigente &c.

3. *In Deo* autem omnia attributa non aliter considerare possumus, quàm & ab essentia ejus inseparabilia, & à se invicem prorsus individua, intelligentes, nec divinam misericordiam à justitia, nec optimam voluntatem ab efficacissima potentia, nec sapientiam ab infinitate & æternitate, nec denique ullam Dei perfectionem ab alia ejusdem perfectione ulla ratione posse divelli ac separari.

4. Hanc omnium attributorum divinorum tum ab essentia Dei, tum à se invicem inseparabilitatem ac proinde unitatem sive identitatem, nomine *Simplicitatis* oportet intelligere, ita ut percipiamus omnia Dei attributa unum & idem esse, non unitate compositionis, quomodo anima rationalis & corpus sunt unus homo, vel caro & ossa

Q 5

unum